

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Icones sive imagines virorum literis illustrium

Reusner, Nikolaus

Argentorati, 1587

Bilibaldvs Pirghaimervs

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)

BILIBALDVS PIRGHAIMERVS PATR.
Noricus, Historicus



*Carminis auctor eram bonus, historiaeque: sed orno
Carminis auctores historiaeque, magis.*

M. D. XXXI. C ij

BILIBALDVS PIRCKHAIMERVS

Patriciâ gente Noribergæ vrbe imperiali natus, Anno M.D.I:

Omni liberali doctrinâ politissimus:
Mathematum præsertim & Historiæ studio-
fissimus:

Quarum disciplinarum egregijs post se relictijs mo-
nimentis, patriæ Germaniæ illustrandæ
operam impenrit fidelem.

Sed & Græcarum pariter & Latinarum litera-
rum peritissimus:

Conuersis è Græco in Latinum præstantiss. aucto-
rum, Xenophontis, Ptolomæi, Plutarchi, Na-
zianzeni scriptis quamplu-
rimis:

Summâ præterea auctoritate & prudentiâ
præditus:

Patriæ Senator amplissimus:

Diuo Maximiliano I. Cæs. Aug. à consilijs:

Optimè de Repub. Christiana meritus:

Obijt Noribergæ, Anno Christiano

M. D. XXXI.

IN BILIBALDVM BYRGHEY-
merum Patr. Noricum.

EPIGRAMMATA.

H EOBANI HESSI.

Quod tibi de studijs nomen Bilibalde paratum est

Inuidiâ saluum iudice nomen babes:

Et quum multa orbi dederis documenta tuarum

Virtutum lingua, pectoris, ingenij:

Quumq; tot a populo passim tua scripta legantur:

Et vacet in laudes utraq; lingua tuas:

Non leuis illa meam subit admiratio mentem,

Cur mihi sit totus cognitus ante parum.

Novimus eloquij prestantem laude pedestris,

Et linguâ quiduis Ati hide posse loqui.

Novimus ingenio callere Mathemata miro,

Et quicquid Sophia totus hic orbis habet:

Expensisse sacri scrupulosa volumina iuris:

Vtilibus nulli cedere consilijs:

Hactenus hac orbi de te sunt cognita: nobis

Pars ignota tui maxima penè fuit.

Quod bona tam facili deducis carmina venâ:

Istâ me poteras parte latere tui?

Quid tua, ceu lucem fugiat, tam sola vagatur

Pieris, in scenâ digna patente legi?

*ua nisi, quod nolim, populo sese inuidet ipsam,
Ingrata est nimium dotibus ipsa suis.
Multa quidē populo passim tua scripta leguntur:
Carmina de multis pauca fuisse voles.
Vive decus patriaq; tua, presentis & aui:
Dotibus ingenij vix habiture parem.*

AEGID. PERIANDRI.

*Reddit a quum vidit Xenophon tua scripta Latino
Graia, refert: valeant, Italus esse volo.
Errauit vox illa viri: qua causa videtur?
Quod veluti Latius verba Latina sonas.
Quum curris Graio, Latio quum surgis in aestu:
Gracia te iactat, Romuleumq; solum.
Gemma soli tu Teutonici, tu magna Thaleia
Gloria: nunc famam totius orbis habes.*

ANONYMI.

*Laus clare non postrema debetur tibi
Bilibalde: per te Praesulis munus pi,
Quod aureo de fonte promptum legimus,
Et facta Achivae gentis armis incluta:
Quin de veteribus Teutone ora sedibus
Non vanus augur hariolare scitule.*

IOSEPHI A PNV ETEOSTICHON.

*Consilio ut Pyrghaymerus bonus exit ab orbe:
Sol propē contacto Pisce peregit iter.*